Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36641
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

dicebatur. sed quia hoc ab illis magis credebatur. Quid enim? Numquid
ideo sacramentum altaris ueritas non est quia figura est? Ergo nec mors
Christi ueritas est quia figura est, et resurrectio Christi ueritas non est quia figura
est. Nam et mortem Christi et resurrectionem figuram esse et imaginem
et similitudinem et sacramentum et exemplum, apostolus manifeste de
clarat dicens. Christus mortuus est propter delicta nostra et resurrexit propter
iustificationem nostram, ut peccatis mortui iusticie uiuamus. Et apostolus
petrus dicit. Christus passus est pro nobis uobis relinquens exemplum ut sequamini uestigia eius. Ergo mors
Christi exemplum fuit. ut peccato moriamur, et resurrectio eius ex
emplum fuit. ut iusticie uiuamus. Numquid ideo ueritas non fuit?
Ergo Christus uere mortuus non est. et uere non resurrexit. si mors eius uera
non fuit. uel resurrectio. Absit. Nam de ipso scriptum est. Vere lan
guores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portauit. Ergo mors
Christi uera fuit. et tamen exemplum fuit, et resurrectio eius uera fuit.
et exemplum fuit. Quare ergo sacramentum altaris similitudo esse
non potest et ueritas? In alio quidem similitudo, et in alio ueritas.
Nam cum unum sit sacramentum tria ibi discreta proponuntur.
species uidelicet uisibilis. et ueritas corporis, et uirtus gratie spi
ritualis. Aliud est enim uisibilis species que uisibiliter cernitur, aliud
est ueritas corporis et sanguinis que sub uisibili specie inuisibiliter cre
ditur: atque aliud gratia spiritualis, que cum corpore et sanguine inui
sibiliter et spiritualiter percipitur. Quod enim uidemus species est panis
et uini, quod autem sub specie illa credimus uerum corpus est et uerus
sanguis Ihesu Christi quod pependit in cruce. et qui fluxit de late
re. nec per panem et uinum corpus et sanguinem tantum significari,
sed sub specie panis et uini uerum corpus et uerum sanguinem con
secrari. et speciem quidem uisibilem sacramentum esse ueri corporis
et ueri sanguinis, corpus autem et sanguinem sacramentum esse gracie
spiritualis. Et quemadmodum illic species cernitur. cuius res uel substantia
ibi esse non creditur? sic res ibi esse ueraciter et substantialiter presens
creditur. cuius species non cernitur. Videtur enim species panis et ui
ni substantia panis et uini non creditur, creditur autem substantia corporis